





5

1768 3  
15

NONNVLLA  
DE VI CONSVETVDINIS

QVAESTIONIBVS HOMIANIS

ADDITA

PRAESIDE  
VIRO CLARISSIMO ET DOCTISSIMO  
CHRISTIANO ADOLPHO KLOTZIO

A. D. XX. DECEMBER. MDCCLXVIII.

DEFENDET

AVCTOR

P 344

IOACHIMVS HENRICVS CAMPE

BRNOVICENS.

SOCIET. DVCAL. TEVTON. HELMSTADIENSIS SOD. ET SEMINARIJ  
REGII SENIOR.




HALAE  
TYPIS CVRTIANIS.

BY VI CONZVETI DINS

THE ASSIDE  
VIT CONZVETI DINS

CHRISTOPHORUS BONTONIO

*Handwritten scribble*



VIRO  
SVMME VENERABILI  
EXCELLENTISSIMO ATQVE AMPLISSIMO

**GVILIELMO ABRAHAMO  
TELLERO**

S. THEOLOGIAE DOCTORI  
POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS A CONSILIIIS IN DIRECTORIO  
ECCLESIASTICO LVTHERANO ET SVPREMO CONSISTORIO  
CET. CET.

PATRONO OPTIMO, MAXIMO  
ET  
PRAECEPTORI OLIM SVO IN AETERNVM COLENDO,



PUBLICVM HOC

SVMMAE VENERATIONIS ET GRATISSIMI ANIMI

MONIMENTVM

D. D. D.

TANTI NOMINIS

CULTOR OBSERVANTISSIMVS

AUCTOR.



ruditionis ea pars, quae ad humanitatem pertinet, fines suos mire expandit, ingeniorumque fructus protulit longe vberriimos, ex quo coeperunt homines docti, ipsos omnis pulcritudinis fontes, duce philosophia, saniori illa, adire, et de virtutibus animae nostrae, praesertim inferioribus, quas vocant, accuratius exponere. Habet ea res causam hanc, quod animae humanae bonarumque literarum studia fororio quasi vinculo tenentur, et gemellorum instar aut foueri simul, et crescere; aut negligi, et coniunctim emori potius, quam alterum sine altero orbatam vitam viuere malunt. Quibus ars critica, ea in primis, quae rebus occupatur, nutricem sese obtulit et liberali educatione fecit, vt, alteri ab altero manu data, ambo ad metam sibi praepositam recto tramite pergant.

Quisquis es, qui legisti ea, quibus *Homius*, *Moses Mendelii filius*, et nuperrime *Ridelius*, alique nuper homines oculatissimi, eruditum orbem beauerunt, facile horum, si minus quoque clara fuissent sensum assequeris. Quibus vtrum philosophi, an literarum elegantiorum cultores maiores gratias debeant, in ambiguo est. At vtrumque maximas debere, liquet. Si quid enim ego video, ille demum philosophus omnibus numeris absolutus erit, qui seueritatem philosophicam liberalium artium cultura temperet, et similem elegantis ingenii laudem vnice merebitur is, qui simul in tractanda philosophia diu multumque desudauerit. Nam in illis formandis vtraque disciplina amico quodam concentu debet conspirare. Quapropter etiam Cicero profitetur: *se magis e philosophorum* (non hominum, in compendii alicuius angustias compactorum et conclusorum, sed, vt erant eo tempore, philosophorum) *quam rhetorum scholis oratorem prodiisse. Init: oratoris.*

Celeberrimus igitur *Homius* (vt ad eum potissimum redeam) qui literarum ad humanitatem pertinentium principia ex intimis quasi animae humanae recessibus excussit, non minori luce Psychologiam perfudit, quam eam ipsam disciplinam, cuius excolendae gratia hunc sibi laborem imposuerat. Sed ab vno duce si quis poscere velit, vt in spatiosa, neque admodum frequentata, regione omnium viarum, hic ibi se interfecantium, exactam rationem reddat, nonne iniurius existimetur? Sufficit enim, vt aliquis bonus Hermes videatur, si de plerisque dicere nobis possit: haec illuc via fert, illa istuc,  
aliae



aliae aliorum, et si ea in nos fide est, ut si ignotus ipsi trames occurrat, libere fateatur: hic vero quorsum ferat, nescio!

Talem se nobis Anglicus noster scriptor ostendit. Caecae quidem, et ignotas huc usque vias bene multas indicauit, quoque ducerent, nos edocuit: neque tamen raro semitam offendit, qua incertus subsisteret, et lectori ingenua probitate exclamaret: numquam bone, huc dum veni; iter quale illud sit, ignoro. Hic vero, si nostra interest, ut totius regionis accuratam cognitionem habeamus, nobismet ipsis inuestigandi labor erit impendendus.

Qua ratione adductus dubitatiunculas subortas quasdam Nostro et, uti est candidus ac simplex, in medium ab eo prolatas, examinaui, atque quomodo dilui possent, sollicitus circumspexi. Contigit mihi, ut, re diligentius consideranda, adsequerer nonnumquam id, quod in explicandis animae nostrae quibusdam mutationibus tricas maxime parere videbatur. Quibus vero omnibus delineandis quum paucarum plagarum scriptio non sufficiar, eas tantum in praesentia lubet exponere, quas in tractatione Homiana de consuetudine fecimus, notationes. Ad duas nempe quaestiones res nostra redit, quas inextricabiles sibi certe esse fatetur auctor doctissimus; quarum prima latius patet: *qui sit, ut generatim tantum in nos valeat consuetudo?* Altera vero specialior est: *quae est ratio, cur, frequenti usu atque consuetudine alicuius rei intercedente, anima nostra nunc magis versus eam se inclinet, nunc vehementius eandem auersetur?* Filium, inquit Homius, quod

ex

ex huius labyrinthi ambagibus nos expediat, maximi aestimandum foret. Quidni igitur, quum operae pretium sit, omnes animi nervos intendamus, vt nodum istum Gordium explicemus? Atqui de re, adeo subtili, ratione et via exponere instituentibus, liceat nobis, taedium, quod in ista subtilitate nobis deuorandum est, eo vincere, vt passim riuis ex hac materia vitro emanantibus, nunc ethicae artis hortulos, nunc elegantiorum literarum areas irrigemus.

Agite, quaeramus igitur generatim, *quae sit tanta consuetudinis vis, et qua ratione in actiones nostras tantopere influat?* Illud quidem intelligo, fieri non posse, vt communem eius rei rationem, quae in singulas consuetudinis formas quadrare videatur, aliquis eliciat, eamque quoniam quaereret *Homius* noster, ideo illum operam atque oleum perdidisse, existimo. Sed dicat mihi aliquis, num sufficiat ad cognoscendam consuetudinis vim, si quis specialiora principia, singulis consuetudinum formis accommodata, stabiliat atque confirmet? Nam solet ea vulgo esse fors omnium fere principiorum communium, vt communes moueant rixas, multumque laboris desiderent; et, vbi cum ingenti dolore prolata sunt, maxime circumscriptam habeant vtilitatem. Bonarum literarum et eius philosophiae partis, quam practicam vocant, historia huic sententiae suffragatur.

Missam igitur illam curam, tamquam vanam atque inutilem facio, et iterum quaero, quae sit illa tanta vis consuetudinis, quae  
animum

animum nostrum tum in appetendo, tum in auersando, gubernet atque dirigat? Repugnare nempe videntur haec, quod modo nouitate rei moueamur, modo vsu demum longiori iucunda quaedam nobis euadant, neque tamen cum principio repugnantiae bene consonare. Vestramne, Metaphysici, rem agi intelligitis? Fidem igitur vestram, o boni, imploro! Vnam alteramue modo distinctionem (quarum, mihi credite, larga adhuc messis vobis semper remanebit) mihi commodate, quibus armatus in securitatem facile vos vindicabo. Teneo: bene est. Omnis igitur consuetudo aut est *corporis*, aut *animae*, aut, ego addo, *vtriusque*. Primum genus extra spatium nobis descriptum cernitur, nihilque ad nos, quippe quod physicis, qui in iis, quae corporibus propria sunt, scrutandis euigilant, relinquimus; et, quoniam non adeo neglectum huc vsque est, etiam etiamque commendamus. Cum reliquis autem nobis in praesentia res erit. Pergo: omnem consuetudinem ab initio vel amoeni quidam animae sensus comitantur, vel inamoeni. Habitum igitur ex hac oriundum, si placet, *iniucundum*, ex illa vero *iucundum* nominauerim. Qui, si graduum rationem habes, iterum erit bipartitus. Sensus enim iste suauior vel *mimitur* paullatim ac refrigescit, vel maiora in dies *incrementa capit*, absque insigni ipsius consuetudinis immutatione facta. Hinc habitus, ex utroque genere ortus, cogitari quidem varius potest, exprimi vero mihi certe non potest. — Restat vt extremum diuisionis genus addam hoc: effectus consuetudinis aut agendo se se exerit, vt in quibusdam corporis exercitiis mira illa facilitas ostenditur; aut patiundo, vt si consuetudine efficitur, vt haec

B

vel

vel illa res maiori vel voluptate vel taedio animum nostrum adficiat: Quorum quidem primus in patrio nostro sermone, id quod transiens animaduerto, non consuetudo, *die Gewohnheit* (vt doctissimus Homii interpres existimat) sed habitus, *die Fertigkeit* audit; neque ille habitus nostrae disquisitionis est, partim, quoniam ad scopum nostrum non pertinet, partim vero quoniam nostra opera minus indiget, siquidem natura huius habitus et modus, vnde oriatur, a sapientissimo *Mendelii filio* ingeniosissime expositus est \*).

Sed nunc satis sit! Defatigati enim sumus molesta illa distinguendi subtilitate, qua superfedere tamen, sine obscuritatis vitio, nulli poteramus. Iam igitur eo dilapsa est disputatio, vt ad primam nostram quaestionem respondendum, et de vi consuetudinis, quae patitur, eius in primis, quae animam tangit, ratio nobis reddenda sit. Faciamus periculum!

Est vero haec ingenii nostri indoles, id quod propria quemuis sua ipsius experientia satis docet, vt, nouarum cognitionum fame stimularum, facillime et maxima cum celeritate cogitando transeat res, quas aut mente intuendi, aut sensu experiendi crebra fuit vel opportunitas vel necessitas, et vt obscura harum rerum reprae-

\*) Philosophische Schriften. Berlin 1761. Zweiter Th. pag. 53. Neque enim existimo, virum celeberrimum id egisse, vt modum quo euadat habitus, vniuerse describeret, quoniam de eo ita disputat, vt habitus tantum, qui agat, rationem reddere videatur.

repraesentatione in posterum libenter acquiescat. Malus ille, certas preces ediscendi, easque statim temporibus missitando repetendi abusus notissimum aequae ac miserabile huius rei exemplum est. Utamur igitur ista obseruatione, ut rationem intelligamus, quae efficit, ut sua consuetudini maneat vis, etsi res, in qua versatur, nobis dudum nullius momenti visa fuerit, seu, *habitus iucundi, primi ordinis* (ex nostra diuisione) rationem teneamus. Nempe ita res habet: Aliquoties nos delectauerat quidem vere id, quod in consuetudinem abierat; sed repetito usu illa voluptas pederentim euanescebat. At anima satis habebat, bis quaterue claro illius voluptatis sensu gauisam esse, quum obscura illius repraesentatione postea acquiesceret: inde factum est, ut eadem illa nobis actio solemnis maneret, raris, nos eadem adhuc in illa perpetranda sentire, quae antea, etsi non amplius sentiremus. Paucis, idem nobis accidebat, quod dormitantibus, qui vana specie illusi, dum pretiosos thesauros possidere arbitrantur, ex somno subito excussi, spondae postem manibus comprehensum tenent.

Exemplo esse possunt illi, qui herba Nicotiana immodice utuntur. Aliquoties forsitan in eructando eius fumo aliqua voluptate adfecti sunt: sed postquam crebriori usu palatum obdurauerint, non amplius quandam suauitatem illos sentire arbitror. Et tamen pergunt fumum haurire. Quid ita? Quoniam, neglecta attentione, confuse tantum eius actionis sibi conscius sunt, et se eadem, quae antea, voluptate frui, plane sibi persuadent.

Alteram habitus iucundi *speciem* adgredior, eam, *quae cum voluptate semper crescente coniuncta* est. Hic vero facilius fit iudicium. Quum enim in illa re, cui adsuescimus, maiores quotidie perfectionis nostrae causas, nos allicientes intuemur: quid mirum est, si vehementius in eam exardescimus; quum ingenium humanum etiam natura sua pronum sit in hanc partem, vt, quo quid maiorem pariat voluptatem, eo libentius versus illud se inclinet? Cernitur hoc in iis, qui in literas strenue incumbunt. Nam vt quisque maiori in illis tractandis adfiduitate vsus est, eo flagrantior fit eius cupiditas, animum iisdem pascendi; quoniam vsu condocefactus peruagatissimum illud Ciceronianum de qualibet liberali eruditione magis in dies comprobatum videt, quod literarum studia *adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugium et solatium praebent*, cet.

Absoluimus vtramque habitus iucundi formam: restat, vt de altero consuetudinum genere, illo, quod in actionibus cernitur, quae ab initio molestiam nobis exhibebant, more nostro, breuiter exponamus. Ardua sane res est, et omnibus huc vsque, quantum ego sciam, intacta; neque, si poetarum mos etiam dicentibus concessus fuerit, Musarum antea patrocinium implorare, recusem. Duplex autem est quaestio:

Prima: *unde potissimum ratio petenda est, cur rebus, maxime nobis iniuisis, ita adsuescamus, vt aequo illas animo ferre possimus?* Ego vero ita sentio: anima nostra, quippe cui felicitatis desiderium  
 natura

natura infitum fit, iucundarum cogitationum amantissima, contrariam quamque vehementissime auersatur. Et, ne contra esse puter aliquis quod in hypochondriacis animaduertimus, ad excrucian- dum animum iniucundis rerum formis id genus hominum maxime procliuè videri: tenendum est, eiusmodi homines, ob sanguinis nigrorem, succorum spissitudinem et corruptam his de causis mentis rationem, tristes rerum species ideo iuuare, quoniam malo errore corrupti, vere aliquid suauitatis illis inesse, miseri existimant. Igitur hoc certum habendum est, nos fauentibus rerum ideis delectari, detrectare aduersas. Hinc sequitur, vt anima nostra, repetita aliqua actione, quae ipsam taedio adficit, attentionem, quoad fieri potest, turbare, et mentem aliorum dirigere, studeat. Quod quo saepius facit, eo facilius illi fit ea cautio; donec habitu gaudeat, omnem animi sensum hoc modo supprimendi, et hanc eandem actionem facillimo pacto in posterum repetendi. Vltro autem intelligitur, hanc nobis consuetudinem lento gradu et pederentim creari, ac multum temporis posci. Non a principio statim populus Romanus (vt hoc potissimum exemplo vtar) immani ista crudelitate vigeat, vt certamina gladiatorum, eorumque indignissimas inuicem iugulationes inter ludos numeraret. Primum ludicris armis, et postquam hoc spectaculum ad crudelitatem animos praeparauerat, tum demum decretoriis pugnis pugnantem cernere iuuabat. Primum bestiarum, post humanum sanguinem comiter aspiciebat praua ethnicorum superstitio. Absurdum igitur et contra omnem verisimilitudinis speciem foret,

si quis hodie tragoediarum scriptor ad excitandam misericordiam hominem victimam in scenam produceret: quia tantum abest, ut vel proprio sensu, vel temporum moribus populares animi ad tantae ferocitati fidem habendam praeparati sint, ut potius ea repraesentatio omnibus portentum atque monstrum certissimum esse videatur. Non inepte igitur *Racini Iphigenia*, quippe quae nobis non misericordiam, sed abominationem exciter, reiiciatur. At si *Sophoclis* aut *Euripidis* tempore, quo recenti adhuc sanguine humano altaria fumabant, spectanda prodiiisset, non ferretur modo, sed laude etiam sua non careret ista Tragoedia.

Altera vero quaestio haec est: *Quomodo fit, ut res ingrata, inualecente consuetudine, non modo aequa verum etiam grata adeo nobis fieri possit?* Vereor, ne hic aqua plerisque haerear. Nobis non haeret: duplex enim argumentum, ex quo mirabilis ista res deducitur, in promptu est. *Primum* est hoc: Nulla fere res, nullus vitae color, nullum negotium, nullus fere labor, quantum quantus sit, adeo molestiae ac taedii plena sunt, ut nihil boni in se habeant. Quidni ergo usu et consuetudine diuturna oculi nostri aperiantur, ut, quod multis malis involutum, et quasi velatum est, bonum in qualibet mala re detegamus? Et ubi re accuratius consideranda bonum illud malo maius esse suspicamur, quidni versus eam rem anima nostra se inclinet? Inde igitur eius, de quo quaeritur, ratio partim repetenda est. Exemplum praebet homo ille britannicus, qui ab utero inde matris oculorum usu



vſu orbatus quum in eo eſſet, vt viſum recuperaret, amicolae ſuae, quam caecus ardebat, *Cariffima Lidia*, dicit, *ſi oculorum eſu in poſterum impediatur, quo minus dulciſſimam Lidiae meae vocem cognoſcam, et greſſum eius procul ſentire poſſim: boſce mihi oculos potius euelle! \**). Tantiſne ille caecitatis commodis fruebatur, vt viſum potius, vix recuperatum, quam illa, amittere mallet?

*Altera* denique ratio videtur eſſe haec: tanta in eod viſus eſt, quum diſiuncta et repugnancia opponuntur, vt alterum alteri magnitudinem quamdam addere videatur. Numquam clarior lux, quam quae in tenebris, fulget: numquam veſtis candida magis albescit, quam ſi ad nigram refertur. Inde fluit, vt abſentia oppoſiti multum de magnitudine vel rei vel gradus eius demat, demere certe videatur: immo tam late patet iſta viſus, vt bonum, abſente malo, in malis rebus, et malum, abſente bono, in bonis rebus habenda eſſe exiſtimemus. De quo ſi quis dubitare velit, eum quaerere iubeo ex maioribus noſtris, probis illis, ſed agreſtibus atque feris hominibus, vtrum duram illam ac paene horridam vitae rationem, quae illis erat, malam duxiſſent! Aut ego totus fallor, aut bona verba! dicent. Deerat enim illis ſpecies atque  
 figura

\*) Dear Lidia, if I am to loſe, by ſight, the ſoft Pantings, wich I have always felt, when I heard your Voice; if I am no more to diſtinguiſh the ſteps of her, I love, when ſhe approaches me: pull out theſe Eyes!

figura istius nostri gallizantis (vt ita dicam) viuendi moris. Fac igitur nos vel proprio consilio adductos, vel necessitate quadam coactos, vnā eandemque rem, quae ingrātā nobis est, saepius repetere; finge porro, nos repraesentationem rei contrariae, vt fit, sensim ex animo amittere; num mirum erit, si, quod ingrātum antea fuit, gratum nobis euadat?

Dixi statim ab initio, duas potissimum quaestiones esse, quas nobis tractandas sumserimus; alteram de vi, quae in consuetudine inest, quam exposuimus; alteram de ratione, cur consuetudinis vis tam contrario sese modo exerat, de qua praeciendum nunc est. Quaeramus igitur, qui fiat, vt tam oppositi consuetudinem effectus sequantur, seu, *quae sit ratio, cur, vsu intercedente, nunc fortius versus aliquam rem inclinet anima nostra, nunc reclinet ab eadem studiosius?* Modum, quo ista eueniant, explicaturo opus periculosaē aleae plenum subeundum esse, nemo non vider, et, si quid humani in tanta rei, subtilitate dicam an obscuritate, dicenti accidat, quis est, qui non veniam ei candide largiatur? Qua fiducia plenus, duas quasi leges, quas in ista consuetudinis efficacia anima sequitar, proponam. *Altera est haec: Omnis omnino res, cuius pretium, quantum quantum est, aut cuius suauitatem vno quasi obtutu cognoscere, aut simul sentire possumus: illa in dies nobis magis sit aequa.* Est haec non scripta, sed nata lex, ad quam non docti, sed facti sumus, et quam proprio suo sensu com-

comprobatam nemo non videbit. Ex illa igitur patet, cur v. gr. exquisitissima ingenia coenarum, saepius repetita, fastidium nobis pariant; item cur splendidissima vestis, quae tantopere mulcebat primum vanitatem homunculi, inanis gloriae cupidi, post diuturnum usum desinat illum voluptate persuadere: hinc denique vera illa dramatici scriptoris notatio elucescit:

*If all the year were playing holidays,  
To sport would be as tedious as to work.*

Liceat nobis ista observatione hoc loco uti ad illustrandam aliquam Horatii praeceptionem in arte poetica, ubi Pisonem adhortatur:

*Nec sic incipias ut scriptor cyclicus olim:  
Fortunam Priami cantabo et nobile bellum.  
Quid dignum tanto feret hic promissor biatu?*

*Quanto rectius hic, qui nihil molitur inepte:  
Dic mihi, Musa, virum*

*Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem  
Cogitat, et speciosi dehinc miracula promat.*

Id quod Gallorum Horatius in sua lingua ita interpretatus est:

*Que le debut soit simple et n'ait rien d'affecté.  
N'allés pas dès l'abord, sur Pégase monté,*

C

Crier

*Crier à Vos lecteurs d'une voix de tonnerre:  
 Je chante le vainqueur des vainqueurs de la terre.  
 Que produira l'auteur après ces grands cris?  
 La montagne en travail enfante un souris \*).*

Cuius igitur praeceptionis ratio ex ea lege, quam sequi animam paulo antea diximus, prono quasi alveo fluere videtur. Si enim caput carminis nimia luce poeta suffundit; vel ita pergere, et gradatim altius exurgere debet; aut fore, ut lectores, prima statim luxurie satiati, cetera respuant, scito. Forfitan ex hoc fundamento, utrum ista Aeneidos ἀνεκφύλακτος, quae tot rixas peperit criticis, Virgilio tribuenda sit, nec ne, cum aliqua veritatis specie iudicium fieri possit. Porro, utrum haec eadem poetarum lex etiam dicentibus scripta sit: non ego quidem dirimere audeo, etsi in eam partem maxime proclivis sim, ut hoc affirmem: propterea, quod eadem ratio urget. Quodsi vero ita est, imperare mihi non possum, quin ipsum eloquentiae patrem, Ciceronem, neglectae regulae incusum, quippe qui auspicia orationis grandia et verbis accumulata in deliciis habeat \*\*). Sed haec obiter!

*Alter*a vero regula, quam in appetendo aut auersando anima nostra sequitur, et ex qua consuetudinis illa vis cognoscitur, est haec: *Omnis res, cuius pretium non statim intelligimus, sed quam*  
*ad*

\*) *L'art poétique p. Msr. Boileau.*

\*\*) vid. initia orationum pro Arch. poet., ad Quirit. post reditum, in Catil. I, pro P. Sextio, cet.

*ad bene beateque viuendum magis in dies facere comperimus: illa, ubi familiaris facta fuerit, nouam quotidie voluptatis segetem nobis profert.* Exemplo esse amicus potest. Non enim primo statim colloquio, aut amplexu primo de eius valore certi possumus esse atque conuicti. Temporis beneficio, et tentationibus bene multis, fides eius, vt in ignibus aurum, spectanda est. Quare etiam fit, vt, nouo quoque probitatis eius documento accedente, incredibili gaudio et amore commotum cor nostrum palpiter, et vt artiori quotidie vinculo mutua nostra amicitia coniungi videatur.

His ita positis, restat vt rationem addam, qua commota in appetendo et auerfando huncce potissimum ordinem anima nostra sequatur. Est autem illa in nouitatis studio et proprio sui vnus cuiusque amore sita, quorum primum in altero continetur. Vtroque mouente propensionem nostram in aliquam rem vel minui, vel augeri, in aprico positum est. Curiosum enim illud nouarum rerum studium, quo minus ab aliquo desistamus, in quo bonarum rerum inuestigandarum copia adhuc superest, nos impedit; et sui quemque ipsius amor iubet, vt id, quod multum ad felicitatem suam non contulit modo, sed collaturum etiam est, amore amplectatur continuo. Ex hoc v. c. potest intelligi, cur amoenitatibus orarum, liceat saepius visis, oculi simul et mentes spectantium tam suauiter pascantur: quoniam ista pulcritudinum, quae partim simul adsunt, partim vertente anno sese excipiunt,

piunt, mira varietas attentionem nostram occupat. Maiori adhuc illustrationi potest hoc inferuire, quod ille adsp̄ctus agrorum, quo recentior et notabilior immutatio cernitur, eo maiori nos voluptate adficit. Hinc insolens illud gaudium, quo triumphamus, quum

*Diffugere niues, redeuntque gramina campis  
Arboribusque comae.*

Hinc grati isti sensus, toto corporis habitu expressi,

*Spicea iam campis quum messis inborruit et quum  
Frumenta in virida stipula lactantia turgent.*

Hinc laetabundi vultus et oculorum serenitas,

— *Quum decorum mitibus ponis caput  
Autumnus aruis extulit.*

Hinc denique grata illa animorum requies,

*Quum nix alta iacet, glaciem quum flumina trudent.*

Supereſt, vt nonnulla, partim ad prudentiam in vita communi ſeruandam facientia, partim ad iudicium in lectione poetarum acuendum aliqua ex parte inferuientia, quatenus nempe ea, quae dicta ſunt, anſam praebent, huic quaestioni addam. — Quum tantum valeat conſuetudo ad imminuendam delectationem, ex aliqua re percipiendam, vbi, quidquid boni illi ineſt, ſimul percipimus: cauendum erit, ne in conglutinanda noua quadam amicitia, quam volumus eſſe duraturam, omnes ſtatim perfectiones,  
quae

que nobis insunt, amico nostro exponamus. Hoc enim facto calidissimus quidem ardor pectus eius inflammabit: at subitus iste calor, meteori instar subito splendore, quantum quantum est, simul elucens, citoque euanescentis, non longae erit durationis. Soles, qui secula lucent, lento surgunt gradu et praecurrens diluculum splendorem diu duraturum annunciat. Caute igitur et molliter incedendum, ne virtutum nostratum insipida enumeratione futurum amicum inebriemus, sed indicia earum potius ita moderare sciendum est, vt curiosae alterius perseruationi semper aliquid inuestigandum supersit. Nam, vt quisque motus animi celerior et vehementior est, ita minus diuturnus. Bene ac sapienter hoc ab eo notatum video, qui ipsam naturam in scenis loquentem fecit:

*These violent delights have violent ends,  
And in their triumph die. The sweetest honey  
Is loathsom in its own deliciousness,  
And in the taste confounds the Appetite:  
Therefore love moderately, long love doth so.  
Too swift arrives as tardy, as too slow. \*)*

Drammatis autem et epici carminis scriptor ista obseruatione in hunc modum vti potest, vt caueat, ne aut in scena, aut in carmine personas inducat, quorum amicitia, a primis inde auspiciis flagrantissima sit, nec sensum firmiter coagmentari, et artius coire videatur,

C 3

nisi

\*) Shakesp. Romeo and Juliet. Act. II. scen. 6.

nisi forte temporis, fabulae praescripti, penuria contrarium desideret. Obseruatae huius regulae exemplum Virgilius praebet in describendo tum initio, tum progressu amoris, quo Aeneam perditae complexa Dido erat. Primum misericordia mouetur muliercula:

*Non ignara malis miseris succurrere disco.*

Post hospitii animum soluit:

— *Simul Aeneam in regia ducit*

*Tecta; simul diuum templis indicit honorem.*

Crescit, vt fit in feminis, sciendi cupido, quae sint fata viri, quaeque eorum cum quibus vna Troiam defenderat:

*Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.*

Et ita sensim dirus amor pectori eius se insinuabat:

— *Longumque bibebat amorem.*

Donec ignis, qui diu quasi in cinere lauerat, in flammam denique erumperet, et totum miserrimae pectus vreret:

*Vulnus alit ventis et coeco carpitur igni.*

Haec vero habui quae tecum communicarem, quisquis es, qui mea putas esse aliquid. Caeterum

Viue, vale! Si quid nouisti rectius istis,

Candidus imperti: si non, his vttere mecum.

---

CORRIGENDA.

Pag. 9. l. 13. l. non adeo — aeque.



## PRAESES AVCTORI.

**S**atis cum ipse, cuius argumentum elegisti, quique totus Tuus est, id est, a Te, nullo a me corollario accepto, scriptus, eademque a Te perspicacia elaboratus, qua Te illum defensurum esse facile praevideo, libellus ingenii probe subacti aciem ostendat, quicquid est harum litterarum, plane poterat omitti. Quid enim ego de Tua doctrina, cuius nec inuenustam nec paruam copiam iam tum, cum primum ad nos accederes, Te collegisse animaduerti, sentiam atque iudicem, cum alii norunt, tum narrare Tibi potest Scbiracbius, Vir eruditissimus, cuius disciplina Te usum fuisse ideo laetor, quia rectam illam esse iudico, honestam, atque elegantiae praeae recentiorisque plenam. Sed dandum hoc fuit consuetudini, cuius legibus in maioris quoque momenti rebus morem gerimus. Habes igitur, mi ingeniosissime Campi, a me epistolam, cum laudum Taarum, quarum non ultima est eximia et vnice amabilis

bilis modestia, testimonium, non illud quidem, ut iam dixi, necessarium, sed verum tamen, ingenium, nec, cum ab homine blanditiis infenso nec adulatoriis artibus unquam imbuto, profectum sit, indignum, cui fides habeatur, tum, id quod me multo magis delectat, animi erga Te mei pignus. Cuius quidem mei amoris declarandi quotiescunque mihi occasionem dederis, ne illam mihi frustra oblatam esse videas, operam dabo: certe, cum casus vel optima consilia irrita reddat, bene de Te sentiendo, iudicando, immo bene Tibi precando me Tuae de me expeclationi atque spei satisfacturum esse non solum spero, sed polliceor quoque. Ita Tu vale, et res Tuas porro feliciter age, Vir optime.

ULB Halle  
001 516 159


3



56

WD 18







NONNVLLA  
DE VI CONSVETVDINIS

QVAESTIONIBVS HOMIANIS  
ADDITA

PRAESIDE  
VIRO CLARISSIMO ET DOCTISSIMO  
CHRISTIANO ADOLPHO KLOTZIO

A. D. XX. DECEMBER. MDCCLXVIII.

DEFENDET

AVCTOR

IOACHIMVS HENRICVS CAMPE

BRNOVICENS.

SOCIET. DVCAL. TEVTON. HELMSTADIENSIS SOD. ET SEMINARI  
REGII SENIOR.



HALAE  
TYPIS CVRTIANIS.

1768 3  
10

P. 349

